

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Variolarvm Pernicie In Hypochondriacis Observanda

Juncker, Johann

Halæ Magdebvrgicæ, [1732?]

VD18 90813529

Caput Tertium. De Therapeuticis Variolarum Considerationibus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198288

CAPVT TERTIVM.
DE
THERAPEVTICIS VARIOLA-
RVM CONSIDERATIONIBVS.

§. I.

PRæmissis capite primo generalioribus, secundo autem specialibus caussis pernicialis variolarum euentus ad therapiam nos iam conuertimus, & ne in limine attingamus, meditate præmonemus, variolas, cuiuscumque demum indolis sint, sola naturæ autocratia & congruo regimine salutarem exitum plerumque ostendere, sinistram autem euentum a caussis accidentibus tantum non semper dependere. Ob hanc peculiarem energiam, quam in hoc adfectu præ aliis morbis natura mirifice ostendit, solertissimus vmquam medicinæ Practicus, *Sydenhamus*, contra variolas medicamenta præscribere in progressibus illarum ordinatis quouis modo recusauit. Immo ipsæ confluentes malignæ, si dicendum, quod res est, artis auxilium rarius exposcunt.

§. II.

Quoniam autem hoc adfertur, ob peculiarem præcipue quam variolæ incutiunt timorem, plurimis paradoxum est, paucioresque salutarem hanc a remediis abstinentiam comprobant: ad caput dubitantium nos adplicare & superfluum quasi remedium, quod non solum innoxie, sed etiam utili-

utiliter, adhiberi potest, ordinare cogimur. Videlicet *absorbens* aliquod cum *antimoniato fixo*. Ab hoc enim remedio duos effectus non contemnendos expectare possumus, nempe *corrigentem* alterum, alterum autem *euacuantem*. Corrigentem efficaciam destinamus acrimoniæ biliosæ. Cum enim alius per plures sæpe dies adstricta neque consultum ubique sit, eandem solvere; interea autem bilis, in primis regionibus detenta, suspectam acrimoniam contrahere, noxias diarrhæas prouocare, & variolarum recessione efficere possit: tum omnino ad hanc biliosæ colluiei acridinem subigendam pulvis modo notatus laudari meretur. Euacuante autem effectu subaudimus placidam illam lenemque diapnoën, quam antimonium præcipue diaphoreticum in subiectis tenerioribus præstare, quæque sub eruptione variolarum tam utilis esse solet, quam noxia methodus crasse & feruide expellens deprehenditur.

§. III.

Hæc est medicatio quasi superflua, quam in casibus ordinariis & benignis adhibere licet. Quo difficiliore autem circumstantiæ in variolis concurrunt: eo iustius est, ut congruentia remedia, methodice ubique adplicata, ordinentur. Et licet scopus noster eo præcipue abeat, ut difficultates Hypochondriacorum hic notemus & iisdem debite succurramus, ne tamen quid desit, completam methodum, quibusvis variolarum accidentibus congruentem, suppeditare placet. Atque hoc eo ordine fiet, ut omnia, quæ dicenda sunt & commendanda, in quatuor distincta tempora, videlicet præparationis, eru-

ptionis, maturationis & exsiccationis distribuamus & unicuique, quod suum est, assignemus.

§. IV.

Igitur quod ad *tempus preparationis* attinet, ante omnia meminerit Medicus, quod materia peccans sit indolis *fermentescētis*; quæ quo fortius & feruidius mouetur, eo plures laudabilissimi sanguinis portiones in sui naturam conuertit, eoque maior variolarum copia generatur & postea expellitur. Cumque non paucitas horum exanthematum sed multitudo periculum adferre soleat: tum omnis neruus eo intendendus est, vt efficacia *fermentescēis* imminuatur. Sed hic opera hic labores sunt. Quamquam enim omni sollicitudine & vigilantia hic agamus, & impetuosos motibus contemperando inferuiamus, non semper tamen ad tranquillitatem placantur. Ex doctrina fermentationis artificumque consuetudine notum est, quod in liquoribus fermentandis e.g. in cereuisia, eo semper respiciant, vt actus fermentationis non feruide sed admodum *repide* instituatur. Dicunt enim, das Bier müsse seine kühle Gährung bekommen, sonst werde es bald schaal. Quæ sane obseruantia in actu variolarum fermentescēte imitabilis est, & tanto magis inculcari meretur, quanto frequentius hic aberratur. Quid enim vtilius, quam primis diebus excitare & corpus lectis circumtegendo in nimium æstum conicere? Quare contraria plane via hic incedere, & tempore preparationis *contemperationem* in omnibus illis subiectis respicere debemus, quorum & corporis & animi constitutio variolarum *copiam* generare minatur. In hunc

hunc finem commendamus ante omnia *quantitatis imminutionem* per *largam venæsectionem*, primo die in illis instituendam, qui vel hypochondriacis vel arthriticis vel aliis commotionibus, præcipue patheticis, obnoxii sunt. Præter ea *pulveres temperantes* paululum nitratos sæpius porrigere, potumque bene defecatum & satis dilutum bibere suademus; conservando ubique regimen temperatissimum. Alius autem, si adstricta sit, per *clysteres emollientes*, a stimulantibus liberos, confidenter solvatur.

§. V.

Alterum tempus est *eruptionis* variolarum, quod tertio circiter die vel quarto ingruere solet. In hoc præcipue agiles & in variolis expellendis noxie occupati sunt homines; immemores sane, quod ipsa natura hic semper fere sibi sufficiat, quodque sponte currenti calcar adiicere proxima via sit ad lapsum. Equidem satis speciosus est prætextus, quando dicunt, miasma malignum de corde esse expellendum, ne quid restitantis huius materiæ vitalibus partibus damnum ferat. Si vero consideremus, quod, quo fortior commotio fit, eo maior copia variolarum in corporibus *generetur*, eoque maius periculum producat; hanc expellendi indicationem falsissime formatam & multorum malorum feracem esse facile confirmamur. Qua de causa non possumus non graviter hic accusare infausta illa artificia, quæ tam per vulgus, quam per medentium chorum incongrue adhibentur. Profecto enim multo felicius, quam variolæ, expelluntur eiusmodi expulsores, qui & miasma malignum & motus, naturæ

instrumentales per alexipharmaca calida, volatilia, myrrha, vinum rubellum, enulatum, excrementa ouilla & alia fordida exagitant, & vires naturæ ita prosternunt, vt postea tot innumeræ pustulæ maturari non possint, sed infelici regressione ad interiores partes redundent. Vt vero inconsultum hoc tentamen iterum & sæpius explicetur, hosque expulsores contra rationem agere demonstremus, mentionem eis iniicimus, quod energetici naturæ motus in hoc actu expulso-rio numquam fere deficient, sed potius excedere & ad summum gradum, nempe ad conuulsiones sæpius adscendere obseruentur. Itaque accusato hoc pessimo more eadem tantum *temperantia* & leniter *diapnoica* cum *potu tenuiore* & *regimine placido*, quæ præparationis tempore laudauimus, hic continuanda; & si *conuulsiones* accedant, puluerem *lumbricorum terrestrium* cum temperante miscendum commendamus.

§. VI.

Ad tertium *tempus*, quod *maturationis* est, iam progredimur, vbi plurima sane discrimina interdum occurrunt, & dum in portu fere esse videmur, naufragium facimus. Equidem in illis casibus, qui *medicrem* tantum variolarum *copiam* offerunt, nullæ adeo difficultates adparent; sed sponte natura, sine artis subsidio, vt plurimum ea, quæ hic necessaria sunt, feliciter peraguntur. Quando autem *stupenda* harum pustularum *multitudo* maturanda est, & autocratia naturæ deficere videtur: tunc dare vela retrorsum & sententiam in diuersum mutare cogimur. De singulis, quæ hic offensiones occurrere possunt,

possunt, speciatim iam dicemus. Itaque si in actu inflammatorio *circulus ille ruber* & pustularum necessaria *elevation* deficere videantur, vel si iam adfuerint, ille euanelcere, & hæc subsidere obseruentur: tunc *methodus expulsionem* vel potius *diaphoreseos conseruationem* respiciens iustissime indicatur. Nihilo tamen minus etiam hic, ne quid *nimis* fiat, fideliter moneamus. Quem ad modum enim febrilis commotio haud exigua sæpius conspirat: ita necessarium est, vt temperatæ cuiusdam essentia alexiparmacæ parca ac sæpius repitita dosis propinetur, & potus quidam dilutus, paullulum calidus, largiter porrigatur. Speciatim autem in casu hoc valde ambiguo laudamus frequentissimum *essentie dulcis* vsum, quem & alio tempore & iam in iuvene quodam generoso multa cum iucunditate efficacissimum obseruauimus. Quoniam autem febris typica quadam exacerbatione certis dici horis plerumque se manifestat, *pulueres febriles*, pauca *nitri* grana continentes, potissimum interponere & cum potionibus diapnoicis illos porrigere conuenit. Qui puluis nitrosus cum quinque granis *corticis cascarilla* remixtus commodissime etiam adhibetur, quando *diarrhæa*, in primis torminosa, periculum minatur. De *heroica methodo*, quam in discrimine maturationis temporis Sydenhamus commendat, nil certi adfirmare audemus, sed meditandam tantum illam allegamus. Jubet autem, vt accedente febre secundaria, inquietudine & cæteris symptomatibus, mortem imminentem præfagentibus, sanguis magna in quantitate per venæsectionem educatur.

§. VII.

§. VII.

Quartum *tempus exsiccationis* est, in quo, si maturatio prospere præcesserit, nullæ difficultates obueniunt. Quoniam autem de variolis Hypochondriacorum & aliorum sensibilibus subiectorum, in quibus maturationis negotium sinistre plerumque succedit, præcipue hic agendum decreuimus: officii nostri ratio requirit, vt de *curatione illa secundaria*, quam harum pustularum reliquiæ exposcunt, per singulas partes pauca dicamus. Variolæ si tam lenta progressionē proueniunt, vt posteriores adhuc floreat, quando priores ad ficcitatem iam peruenerunt: tum regimine cautissimo incedendum est, ne reliquiæ illæ negligantur, & periculum adferant inopinatum. Conuenit in hoc casu vsum essentia alexipharmacæ continuare, & corpus a frigidi aëris accessione munire. Incommoda *faucium* per gargarismata congrua & *essentiam pimpinellæ albæ*, *narium* autem per oleum ovorum remouentur. Idem hoc oleum leniter camphoratum consolidationem promouet, quando ruptis pustulis adplicatur. Atque hoc, quia securum est, tanto magis commendari meretur, quo sæpius ad foueas cauendas multa periculose hic tentantur. Porro hoc oleum eadem securitate *palpebris*, quando conglutinata sunt, referendis adhibetur. Quando autem oculi ipsi sub hoc actu aliquod vitium contraxerunt, e. g. *lippitudinem*, *ophthalmiam*, *pannum*, tunc cuique horum adfectuum, vt moris est, occurritur. Abstinendum autem est a multa mox post morbum lectione. *Auditus vitia* si relicta adpareant, per laxantia & catarrhales essentias,

tias, præcipue succinatas, tractantur. Denique de *ulcusculis* paulum profundis adhuc dicendum est, quæ loco legitimæ suppurationis in nonnullis remanent. Hæc remediorum febrilium continuationem interne, externe autem digestiva & temperate balsamica exposcunt. Commode quidem hæc chirurgica tractatio fieri potest, quando pauciora sunt, in casu autem multitudinis, cuius nonnumquam exempla occurrunt, corruptio putredinosa accedere & mortem accelerare solet. De *dieta* congruente & moderatione præcipue in cibis sumendis non placet multa commendare, quia hæc levia sunt, & a domesticis ad modum sollicitè plerumque inculcantur.

§. VIII.

Sic perlustrando *quatuor* variolarum tempora quaslibet illorum afflictiones & congruentem illis medicationem paucis indicavimus. Vbiq̃ue autem ad specialem nostrum scopum fuit respiciendum, alias de parte theoretica, præcipue de causis & differentiis harum pustularum plura dicenda fuissent. Possemus iam filum abrumpere, quia intentioni nostræ satis nos fecisse putamus. Cum vero ratione praxeos non nullæ observationes restent, in quibus auctores non semper conveniunt, placet etiam de his, tamquam *paralipomenis*, brevius quædam exponere. De sollicitudine *præservandi* in præfatione iam diximus, & hanc intentionem in tenera ætate tanto magis dissuademus, quia felicius in illa, quam in adultiore, variolæ superantur. Cumque remedia præservantia in reliquis contagiosis ad modum incerta sint, multo minus efficacia erunt in hoc peculiari morbo, cui

D

semel

semel tributum soluere tantum non omnes homines sunt obligati. In domus autem infectas studio tum infantes ducere vel portare, quando hæc exanthemata benigniora obseruantur, alterum extremum est, & insitionis actui, si penitus consideretur, postponendum. *Expulsoria methodus* in iis tanto magis arguenda est, quorum potiora conamina in aliis morbis correctionem qualitatis, quæ in variolis præcipue consideranda esset, respiciunt. Quamuis autem cum *Sydenhamo* totius rei cardinem & felicitis euentus fundamentum in paucitate variolarum quæramus, copiosam tamen eruptionem per tot *refrigerandi* actus, quos ille adhibuit, præuenire non commendamus. Interea verissimum est, quod, obseruante eodem auctore, pauperes ob rem domi angustiore & agreste viuendi genus, regimen accuratum excludens, pauciores variolas quam diuites, in sæculis, vt vocat, *indoctioribus* habuerint; ex quo autem mithridatii, diascordii & aliorum calidorum vsus, seu potius abusus, didicere, hic morbus plures etiam inter vulgus iugula-
 verit. Cæterum cum *faciem* & *oculos*, illam quidem per *camphorata* eidem adplicata, & per *vesicas* aqua calida repletas pectorique impositas, hos autem per *balitus aromaticos* a copia variolarum defendere intendant: tum alium plane finem, nempe formositatis conseruationem respiciunt. Commendabilis autem harum pustularum *paucitas* quot friuola artificia, quot falsas specificorum commendationes, immo quot fabulas e. g. de *insculis lentium*, *phlegmate vitrioli*, destruit & refutat! Iam progredimur ad *hæmorrhagiam narium*, quam sub variolarum actu prouenientem diuersis
 omni-

omnino oculis auctores intuentur. *Ante eruptionem* quando contingit, plurimi salutarem illam pronunciant, & vulgus dicit: *der Patient blutet dadurch viele Pocken hinweg*; id quod de largiore fluxu omnino verum est. Si vero molimina tantum hæmorrhagica sine sufficiente euentu contingant, tunc non tam hæmorrhagiam, quam potius defectum illius accusamus. Quod ad illum narium fluxum attinet, qui *sub* pustularum eruptione contingit, hic maiorem adhuc terrorem medentibus iniicere solet. Alii enim virium prostrationem & hinc variolosæ eruptionis defectum, sed sine ratione & experientia, pertimescunt; alii autem contraria plane ratione noxiam sanguinis commotionem & variolarum nimiam copiam præfagiunt. Sed uti hoc post sufficientem sanguinis euacuationem contingere minime observatur: sic a cohibitione huius hæmorrhagiæ tanto magis dehortamur, quo tristiora sunt vestigia, quæ infausta illa conamina passim relinquunt. Sic v. g. in Viro quodam illustrissimo, sexaginta circiter annorum, hæmorrhagiam narium, quæ sub variolarum eruptione proueniebat, artifices compescebant; sequebatur proxime delirium phreniticum & hoc paucis diebus mors excipiebat. Mox filius sedecim annorum iisdem fati exponebatur, quoniam autem artificia compescendæ hæmorrhagiæ in hoc effectum supprimentem non attingebant, sed sanguis potius largissime effluebat; variolæ mediocri copia expulsæ feliciter superabantur. Nemo hic dicat, magnam esse differentiam inter sedecim & sexaginta annos. Certissimi enim sumus, quod plethora in sexagenario Parente

maior fuerit, quam in filio sedecim annorum, in quo abundantia in incrementum corporis adhuc poterat impendi. Præter ea eundem funestum euentum post hæmorrhagiam narium in variolis suppressam & phrenitica deliria in iuuenili ætate obseruauimus, vbi facta post mortem cadauera humorum extra vasa eruptionem in capite exhibuerunt. Profecto si Sydenhamus per largissimam venæsectionem hanc phrenitidem soluere putauerit: multo magis impediatur ille effectus per prægressam hæmorrhagiam naturalem. Huic rei clariorem lucem accendimus, quando *menstruam* in sexu sequiore *excretionem* consideramus. Testantur enim passim auctores, quod hæc hæmorrhagia sub variolarum eruptione contingens non tantum cum deliriorum atque æstus febrilis moderamine sed etiam cum exoptata pustularum maturatione fluxerit. Denique de *aluina adstrictione* adhuc monemus, quod vniuerso actui ad peripheriam directo adprime respondeat, & nisi tormina vel alia symptomata illius solutionem indicent, per 4-6-8. immo plures dies innoxie tolerari possit & soleat. Sufficiant hæc de variolis Hypochondriacorum periculosi & de illarum medendi ratione breuiter dixisse.

